

ut melius dicunt Mol. Dicast. et Croix cum aliis (1), quoad solum valorem correspondentem naturæ, quia valor correspondens industriæ possessoris totus ei debetur (2).

75. Quæritur 1. an tenearis restituere domino pecuniam, frumentum, aut similia quæ recepisti a fure, postquam ille commiscuit cum suis? Non teneris, si fur remanet potens restitutioni, dum id quod tu accepisti (licet mala fide) erat jam factum proprium furis: secus autem si fur reditur impotens, quia tunc illa acceptatione tu fuisti causa damni domini: et ita omnino tenendum cum Sanch. Tamb. et aliis communiter quicquid dicant aliqui (3).

76. Quæritur 2. ad quid teneatur projiciens in mare gemmam alienam æstimatam 10. si valebat 100? Alii cum Lugo obligant ad centum, dicentes eum, qui injuste proximo damnum infert cum culpa gravi, teneri ad totum damnum licet ignoratum. Alii tamen communius cum Pontio Exparsa Holzm. Croix, Dicast. Dian. Mazz. et probabilius dicunt teneri tantum ad decem. Ratio, quia obligatio restitutionis correspondet culpæ et culpa correspondet injuriæ, quæ intenditur inferri proximo. Hinc sicut cum levis est culpa, nulla adest obligatio gravis restituendi (ut ipse Lugo fatetur); ita cum culpa est minor, minor etiam debet esse restitutionis obligatio. Rationi oppositæ respondetur, quod damnificans tunc tenetur ac totum damnum culpabiliter illatum, cum saltem in confuso (ut ceteroquin regulariter apprehenditur) damnum quod infertur apprehenditur; sed nequitiam cum omnino invincibiliter ignoratur, ut bene advertunt Salmant Holzm. Mazzot. et alii communiter (4).

77. Loquendo autem de possessore malæ fidei, hic tenetur non solum ad restituendam rem existentem, et totum id in quo factus est ditior, sed

(1) L. 3. n. 825. v. Bene. — (2) n. 610. — (3) L. 3. n. 612. — (4) n. 613.

etiam ad totum detrimentum illatum domino ob damnum emergens, aut lucrum cessans, saltem in confuso prævisum; ut paulo ante diximus. Hoc nihilominus intelligitur quando dominus habebat plenum *ius in re*, nam si habebat *jus tantum ad rem*, tunc debet ei satisfieri solum pro valore spei, quam habebat efficiendi suam (5).

78. Hic notandum 1. quod si res ablata crescit pretio, tempore quo injuste retinetur, crescit domino: et hoc currit etiamsi dominus eam consumpturus fuisset ante incrementum, nisi illi ablata fuisset; quare si dominus vendidisset agnum cum valebat quinque et fur consumpsit cum valebat decem, decem debent restitui, non vero quinque, ut dicendum cum Lugo Salmant. Conc. Salm. etc. adversus alios; quia res semper fructificat domino. Dicit attamen *Comina* quod si agnus crescit valore decem, et postea decrescit ad valorem quinque, tantum quinque debent restitui, quia tunc damnum est tantum quinque; et huic opinioni adhæsi in opere morali (6); sed nunc illa mihi videtur omnino improbabilis, quia cum nunc creverit valor ad decem in domini beneficium, et cum fur non restituerit tunc agnum, damnum non fuit quinque, sed decem, et mora culpabilis furis fuit causa detrimenti. Valde probabile contra, imo probabilius mihi videtur quod dicunt Less. Molin. Croix etc. communissime (contra Sotum et alios) nempe quod si quis occidit agnum alterius cum valebat quinque, satis est ut restituat domino tantum quinque, licet agnus postea creturus fuisset preti et dominus jam illum servaturus fuisset, quoties dominus, illis quinque sibi redditis, sine incommodo emere posset alterum similem agnum (7). Notandum 2. quod possessori malæ fidei ex L. *Adco*, § 7. *Ex diverso ff. de acqui. domini*. negatur actio contendendi ex

(5) n. 614. — (6) n. 621. — (7) *cit.* n. 621. v. Quid, si.

pensas utiles in re factas; unde ait Sanch. (et Lugo vocat sententiam tutam) posse idcirco dominum licite eas retinere. Sed merito Less. Castrop. Navar. et idem Lugo oppositam appellant probabiliorum, nam præfata lex (ut pœnalis) non obligat nisi post iudicis sententiam (1). Notandum 3. quod qui se simulat pauperem, tenetur ad restituendam eleemosynam (modo non esset modica) aut domino, ut ait Molin. aut aliis pauperibus, ut dicit Castrop. (2).

79. Quæritur 1. an fur teneatur restituere pretium rei deperditæ, cum illa æque periisset apud dominum? Distinguendum: si res periit sine furis culpa, et eodem tempore et periculo (v. g. in eodem incendio) in quo periisset jam apud dominum, tunc certum est, ut dicunt omnes, quod ad nihil tenetur, quia tunc furtum non est causa damni, et sola injuria (ut dictum est n. 44.) non inducit restitutionis obligationem. Contra, si res periit ob solam furis, aut alterius culpam ante commune periculum, certum est quod fur tenetur eam restituere, quia periculum quod supervenit, non eximit eum ab jam contracta obligatione. Quamvis si ille eodem tempore quo imminet ruinam prævideret, rem consumeret, probabiliter eum excusant Less. Lugo Vasq. Sporer et Laym. Sed majus dubium restat, quid, si elapso periculo communi, res in alio periculo perit: dicunt Castrop. Less. et Salmant. tunc possessorem teneri ad restitutionem, ratione habita culpabilis suæ moræ in restituendo. Sed quoties secundum periculum fuerit pariter commune, ita ut res æque apud dominum periisset, probabiliter eum excusat Croix: cum non mora tunc, sed periculum fuit causa damni (3). Utrum vero fur restituere teneatur, cum rem consumat, postquam in extremam necessitatem deciderit, vide dicta n. 19.

(1) n. 618. — (2) L. 3. n. 622. — (3) n. 620, v. Pro majori.

80. Quæritur 2. ad quid teneatur qui emit rem a venditore cum dubio an sit ejus, et deinde adhibita diligentia veritatem detegere nequid? Alii dicunt teneri eam illi restituere aut ei cujus dubitat rem esse, aut pauperibus; sed communius et probabilius dicunt Castrop. Lugo Less. et Salm. pro rata dubii dividendam esse; nam ex una parte non potest tota retineri dum nihil sibi prodest possessio dubia fide incepta; contra æquum non est obligare eum ad restituendum totum, cum dubium sit an illa res sit aliena, an sua (4).

81. Hic quæritur 3. an fraudans gabellas teneatur ad restitutionem? Sententia communissima, cui adhæsi in opere morali, affirmat; quia sicut rex tenetur populorum salutem prospicere, ita populi tenentur ei sustentationem ministrare, ita Mol. Suar. Sanch. Croix et alii multi. Et probatur ex textu Apostoli: *Reddite omnibus debita: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal. Rom. 13. 7.* Alii autem negant, cum adjungitur pœna, ita Navar. Beia Sa Duard. Malder etc. dicendo, quod licet subditi teneantur principi suo congruum subsidium ministrare, et licet princeps possit ad hoc etiam sub culpa obligare eos, non præsumitur tamen velle obligare ad culpam, quoties in sui lucrum magnam superaddit pœnam, et illi se subjiciant subditi. Præterea adhuc juxta sententiam, quod lex mixta obliget ad culpam et pœnam, dicunt quod, posita lege quæ pœnam injungit, dici potest tunc peccare fraudantem, cum adhuc post confiscationem bonorum nollet pœnam solvere, aut sibi eam compensare vellet; tunc enim lex videtur disjunctiva, nempe quod solvatur aut gabella, aut pœna, prout ait Sanchez cum Salon. Cordub. Angles et aliis. Saltem aiunt dubium esse, an lex hæc ad utrumque obstringat, et in dubio nequit adesse obligatio certa. Hoc tamen non obstante, ego non

(4) n. 625.

omitto primam sententiam suadere (1) Cæterum Sanch. cum s. Anton. Gabriel etc. excusant eos qui vehunt res proprio usui, aut familiae, dummodo etiam super illis expresse non sit imposita gabella, ut deducitur ex *L. Universi c. de vectig.*, aut quia solutio etiam pro rebus usui proprio destinatis non sit introducta jam ex consuetudine. Præterea Silvest. Lugo Less. etc. excusant pauperes, si eorum paupertas sit tanta ut, solvendo pro gabellis, nequirent se et suos sustentare (2).

PUNCTUM V.

QUID RESTITUENDUM PRO HOMICIDIO

82. Quid restituere debet homicida.
83. Si ob offensionem vitæ, famæ, etc.
84. Qui occidit unum pro alio, an teneatur restituere.
85. Et an incurrat excommunicationem, vel irregularitatem.
86. Qui obtinuit remissionem ab occiso, an teneatur restituere filiis.
87. Quid restitui debet hæredibus defuncti; et quid si intendatur eorum, aut creditoris damnum.
88. Si homicidium imputatur tertio.
89. Qui occidit excedendo justam defensionem.
90. An hæres supplicio affecti teneatur ad damna.

82. Homicida tenetur restituere omnia damna in bona occisi illata, tum ob expensas curationis (non autem funeralium), tum propter lucrum cessans pro spe quam offensus habere poterat illud acquirendi. Neque ex hoc quod in reum animadversum sit, præfata damna remissa fuisse intelliguntur, etsi remissa præsumuntur si in eo casu non exiguntur (3). Nonnulli dicunt a restitutione lucri cessantis deducendum esse pretium laboris quem offensus insumpturus erat. Alii tamen hoc negant. Melius dicit Bonac. tantum detrahendum fore quod offensus verisimiliter daturus fuisset, ut a tali labore eximeretur (4).

(1) n. 616. quær. 3. ubi alia dubia in hac materia discutiuntur. — (2) N. cit. v. An autem pauperes. — (3) L. 3. n. 631. ad 40. — (4) n. 639

83. Dubitatur 1. an præter præfata damna teneatur offensus pecunia satisfacere pro offensa illata in vitam vel famam proximi? Affirmant Sotus Cajet. Silvest. etc. dicentes quod, qui nequit restituere totum, tenetur saltem ad partem; et innituntur doctrinæ s. Thomæ (5) qui dicit: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia vel in aliquo honore.* Nihilominus probabilior et communior est sententia opposita, quam tenent Less. Lugo Bonacin. Laym. Sanch. Salm. et multi alii, et P. Concina vocat probabilem (quod in sensu illius idem sonat ac moraliter certum, aut saltem probabilissimum, adeo ut oppositum non sit satis probabile). Ratio, quia justitia commutativa obligat ad restituendum pro æqualitate damni illati, sed ubi damnum est ordinis diversi a satisfactione, non potest dari æqualitas aliqua, nec compensatio, nec in totum nec in partem; ideoque non adest obligatio bonis vitæ aut famæ, quæ sunt ordinis superioris bona, compensandi læsionem. Et hoc probatur ex Scriptura, ubi sic habetur: *Percussor erit innocens, ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat*: itaque satisfactis damnis, percussor innocens remanet: id est (ut bene dicit Lugo), remanet liber ab omni alio onere. Probatur etiam ex *L. in ff. de his qui effud.*, etc., unde dicitur: *Cicatricum autem, aut deformitatis nulla sit aestimatio, quia liberum corpus nullam recipit aestimationem* (6).

84. Dubitatur 2. an ad restitutionem teneatur qui volens interficere inimicum, ex errore interficit amicum? Hæc quæstio similis est illi, an teneatur restituere damnum qui volens domum inimici incendere, illam amici incendit? Alii affirmant, ut Bonac. Busemb. etc. dicendo omnem actionem contra justitiam obligare ad restitutionem; errorem vero

(5) 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. — (6) Lib. 3. n. 627.

domini domus esse circa qualitatem, non circa substantiam, ideoque non excusare a restitutione. Alii tamen dd. ut Lugo Mol. Spor. Croix Leand. etc. (cum doctissimo quondam illustrissimo Torni meo magistro) negant, semper ac ille sine ulla dubitatione intendit incendere domum inimici, non autem amici; nam pro restitutione damni illati non sufficit actio materialiter injusta aut injuriosa, sed requiritur formalitas, quæ est voluntarie injuriosa in offensum. Hinc si ego omnino involuntarie lædo amicum, ego nullam injuriam formalem infero, ideoque error est circa substantiam, non circa qualitatem, cum tota damnum restituendi obligatio oritur ex injuria. Et eadem ratio currit pro errore in homicidio, ut dicunt Filiuc. Tamb. et Leand. Idem dicunt de furto Mol. Lugo et Sporer, v. g. si quis accipit rem putans auferre eam suo inimico; sed revera auferit amico, et eam consumit, hic (ut voluit) non tenetur ad restitutionem; sed quoad furtum recte contradicit Sanch., quia hæc est differentia inter furtum, et damnificationem: in furto principaliter intenditur lucrum injustum, et accessorie domini injuria; sed in damnificatione principaliter intenditur domini injuria, et accessorie damnum illius: qua de re in damnificatione error personæ est circa substantiam, in furto autem est circa qualitatem (1).

85. Quær. 3. an incurrat excommunicatione Canonis ab eo, qui volens percutere unum clericum percutit alium? Negant Concina Diana Suar. ex eo quia injuria respectu alterius est involuntaria. Sed mihi videtur absolute probabilior sententia communissima Mol. Sanch. Bon. Viva etc. qui affirmant; quia excommunicatio incurritur non ob personam, sed status læsionem, qui status in eo casu jam læditur, licet in persona erretur. Igitur percussor excusabitur tamen a restitutione damni illati in personam, ut in præcedenti dubio

(1) L. 3. n. 629.

dictum est, quia non adfuit injuria voluntaria in personam; non autem ab excommunicatione (2). Et tanto minus excusabitur ab irregularitate, ut recte dicunt Sanch. Covarr. Led. Veg. contra Filiuc. Sporer Tambur. etc., quia irregularitas imposita est delicto cujuscumque homicidii, et qui occidi unum pro alio, licet erret in persona, non errat tamen in delicto, cum jam hominem occidat. Alius autem esset casus, si quis mandasset ut occideretur inimicus et mandatararius occideret alium, ut fertur declarasse S. C., nam tunc homicidium respectu alterius est omnino involuntarium, tam quoad personam, quam quoad delictum illud in individuo; dum illud homicidium accidit non ob mandatum, sed ob errorem mandatarii (3).

86. Dubitatur 4. an interfecto, cum a vulnerato, antequam moreretur, remissionem damnum obtinuerit, hoc non obstante teneatur restituere filiis illius? Affirmant Lugo et La Croix dicendo quod pater non potest præjudicium inferre filiis in jus quod ipsi habent super ejus bona. Sed communiter hoc negant Sotus Sanch. Bonacina Salm. Busemb. etc. quia filiis non fit injuria nisi in quantum ipsis præjudicatur in bonis patris contra ejus voluntatem; quare sicut propter patrem acquirunt jus, ita propter illum admittunt illud. Licet non bene efficeret pater in remittendo ea damna in filiorum præjudicium (4).

87. Quær. 5. quid homicida restituere debeat hæredibus defuncti? Hæredibus non necessariis restituere debet omne debitum cum defuncto jam contractum ante ejus mortem, id est (ut dictum est in principio) omnes expensas in curatione factas, et lucrum cessans tempore infirmitatis. Sed hæredibus necessariis, ut sunt filii parentes et uxor, tenetur amplius restituere lucrum (juxta valorem spei) quod verisimiliter defunctus

(2) n. 628. quær. 1. — (3) n. 628. quær. 1. — (4) n. 630.

us lucraturus fuisset; ita communiter Sotus Sanch. Navar. cum s. Thoma, etc. Dicit nihilominus recte Lacroix hoc non procedere si hæredes necessarii in posterum reciperent ab aliis æqualiter alimenta, nam tunc n. illum adest damnum (1). Præterea hoc non procedit pro fratribus et sororibus, quibus defunctus prosecutus fuisset alimenta præstare, si vixisset, etiamsi homicida jam hoc illorum damnum animadvertisset; ut dicunt probabiliter Less. Concina Sot. Lug. Bonac. Salm. etc. contra Sanchez Azorium etc. Nec obstat dicere, quod qui vi impedit aliquem a consecutione justi boni peccat contra justitiam, atque ideo tenetur ad restitutionem, ut dictum est n. 61. Quia hoc currit, cum directe intenditur damnum proximi, non autem quando damnum ei per accidens contingit. Ideoque contra, juxta hanc rationem, dicimus cum Tamb. Conc. Less. Viva Croix Elbel (adversus Sot. Bonacina etc.) quod si homicida directe intendit nocere dictis consanguineis (aut cuicumque alteri), tunc tenetur damna compensare; quia quisque habet jus ne directe impediatur vi a consecutione justi boni (2). Et idem dicendum cum Less. Becano Salm. Conc. Viva Tambur, etc. contra alios, respectu creditorum defuncti, nimirum quod tunc tantum debet occisor compensare damna quæ eis evenerunt, cum hæc directe ab illo fuerunt intenta (3).

88. Quæritur 6. an teneatur homicida ad restituendum damnum quod tertio evenit, cui homicidium imputatur? Dicimus non teneri, licet homicida animadvertat damnum præfatum, et quamvis etiam intendat; quia intentio prava, ut dictum est n. 63 sine actione externa graviter injusta in damnum patientem, non obligat ad restitutionem: ita Sot. Less. Sanch. Tamb. et Croix contra paucos. Hoc tamen intelligitur, modo ho-

(1) N. 634. v. quer. I. — (2) n. 632. et 633. — (3) n. 634.

micidium non fiat cum talibus circumstantiis, ut moraliter inducant imputationem prædictam, ut si homicidium committeret indutus vestibus tertii, aut in illius agro, etc. quia tunc jam adest actio externa, et injusta (4).

89. Quæritur 7. an teneatur ad restitutionem qui invasus ab inimico, occidit eum, sed excedendo justam defensionem? Nonnulli excusant, dicendo tunc inimico cedere suo juri; nos autem non excusamus, cum Lugo Sanch. Nav. Croix, et aliis communiter, quia excedendo jam gravem infert injuriam suo inimico, qui non omittit jus quod habet ad vitam suam ob suam iniquam aggressionem. Probabiliter tamen Lugo, cum Vasq. et aliis (contra Suar.) excusatur a restitutione qui inimicum provocat ad pugnam, et eum occidit; nam tunc non pugnat contra justitiam, dum ille jam cedit suo juri, pugnam acceptando (5).

90. Quæritur 8. an hæredes interfectoris teneantur restituere damna cum ipse jam sit supplicio affectus? Negant Sotus, etc. sed affirmandum cum Sporer Croix, et aliis communiter. Excipiunt tamen probabiliter Sotus Less. Filliuc. Busemb. et Croix, si hæredes occisi præfatum restitutionem non petant, quia tunc præsumuntur eam remittere; modo (intelligitur) res non existat, aut modo illa non sit magni pretii (6).

PUNCTUM VI.

QUID RESTITUENDUM OB STUPRUM.

91. *Ad quid tenetur corruptor, si mulier consentit.*
 92. *Ad quid si defloravit vi, aut minis.*
 93. *Si adest promissio vera aut ficta, tenetur ad matrimonium.*
 94. *Limitatur I. si mulier poterat advertere fictionem.*
 95. *II. Si timeatur malus exitus III. Si mulier remittit. IV. Si adest familie dedecus. V. Si vir adhibeat tantum tactus.*

(4) n. 636. — (5) n. 637. et 638. — (6) n. 631.

96. *VI. Si inveniat puellam corruptam VII. Si mulier renuit nuptias.*

97. *Si corruptor ligatus est voto castitatis, an, etc.*

98. *Si est consanguineus, etc.*

91. In hoc oportet distinguere ad quid teneatur deflorator, cum non intervenit promissio matrimonii, et ad quid cum illa intercedit. Cum ille matrimonium non promisit, et puella sponte consentit suæ violationi, ad nihil tenetur respectu illius. Et idem dicunt Lugo Sanch. Suar. et Less. respectu parentum, ad illa sit corporis sui demina; sed s. Antonin. Navarr. Salm., etc. obligant eum ad reparandam ejus famam aliqua honoris significatione, aut veniæ expositione, dummodo illi hoc non recuset (1). Ceterum communissime dicunt Sot. Suar. Sanch. Vasq. Mol. Ronc. Laym. Less. Lugo Salmant., etc. quod non tenetur vir reficere patri damnum bonorum ratione majoris dotis, qua indiget pro filia collocanda. Excipe tamen 1. si ille manifestaret delictum. 2. Si puella esset pauper, et vir valde dives, ut dicunt Salm. Bann. Tap., etc. (contra Diacast. et Rebell.) nam tunc præsumitur sub tali conditione consensisse. 3. Si iudex virum in penam sui delicti mulcet ad dandam illi aliquam summam; ceterum leges (cap. I. et 2. de adulter. et leg. un. ff. de rapt.) damnant deflatorem aut ad eam ducendam, aut dotandam, quia leges præsumunt deceptionem, aut vim, quoties oppositum non probatur. Sed in conscientia recte dicunt Salm. virum ad hoc non teneri, si mulier revera sponte consentit (2), sicut dictum est Tract. 2. n. 26.

92. Si autem vir virginem deflorasset vi, fraudibus, aut minis, tunc tenetur reficere tam ei quam patri damna, quæ eis intulit in honorem et in bona, dotando eam, aut dotem augendo. Et quamvis ducere eam non teneatur, ut dicunt communiter Lugo

(1) l. 3. n. 641. §. I. — (2) Ibid. n. 641. §. I. v. Dubium 2.

Less. Salmantic., etc. nihilominus bene potest iudex ad nuptias in penam sui delicti eum obligare juxta textum cap. I. de adult. et Exod. cap. 22. (3). Imo quando deflorator non potest alio modo damnum restaurare, ex se tenetur ducere, ut communiter dicunt Less. Lug. Salm. Bann. Diacast., etc. (4). Contra ad nihil tenetur, 1. si mulier jam corrupta erat prius, modo ob injuriam qua postea affecta est, infamia non remaneret notata. 2. Si illa æque nuberet ac si esset virgo, quia tunc in effectu nullum damnum adest; verumtamen advertunt quod si mulier a viro male haberetur ob cognitum defectum, debet deflorator aliquo modo reficere damnum quod patitur (5). Ad quid autem teneatur si precibus aut donis eam induxisset? Dicunt communiter Sanch. Less. Lugo Sot. Vasq. Salmant., etc. ad nihil teneri, modo non intercessissent minæ aut timor gravis damni; et tunc dicunt ne teneri quidem ad totum damnum (6).

93. Hoc procedit cum non adest promissio matrimonii; sed cum promissio inest, deflorator tenetur puellam ducere, non solum cum promissio est vera, sed etiam cum est ficta, ut tenendum est cum s. Thoma (7), quem communiter sequuntur s. Antonin. Sanch. Lugo Less. Tamb. Salmant. Croix Viva, etc. (contra pauciores, qui obligant ad reparandum solum damnum). Ratio 1. est quia tale damnum nullo alio modo adæquate reparari potest, nisi matrimonio. Ratio 2. (et hæc est potior, et in posterum valebit ad decidendos multos casus) quia in contractibus non nominatis, do, ut des, et hujusmodi, cum alter præstat suam partem, alter, licet fide promiserit, pariter tenetur ex justitia præstare suam non secus ac si vero ex animo promississet, dum hoc necesse est, ut a

(3) Ibid. v. Hoc de viro. — (4) n. 649. in fin. v. Illi autem. — (5) n. 642. Dub. I. — (6) Ibid. Dub. 2. — (7) Suppl. q. 46. a. 2. ad 4.

contractibus fraudes, quæ cum damno communi impedirent commercium humanum, removerentur (1). Et idem dicendum cum Lugo et Salmant. contra Sanch. si quis ficta matrimonii promissione viduam bonæ famæ cognosceret (2). Hoc procedit quoad conscientiam; sed quoad forum externum, hic obiter notamus, quod advertit Continuator Tournely (3), valde utile esse ad impediendam hæc tam frequentia facinora, si Episcopi et magistratus irritas omnino declararent omnes istas matrimonii promissiones etiam juramento firmatas, nisi plane testimoniis et scripturis validis hæc constarent.

94. Limitatur tamen sententia præfata circa obligationem defloratoris ficta promissione. 1. Si mulier ex verbis aut aliis circumstantiis de facili animadvertere poterat deceptionem: ut esset, sicut dicunt communissime Lugo s. Antonin. Navarr. Silvest. Salm. Busemb. cum s. Thoma (4), si vir esset longe nobilior aut ditior, quia tunc (ut dicit Angelicus) merito præsumi potest quod mulier finxit aut voluit decipi, sed revera non decepta est. Quanta autem hæc disparitas debet esse, Lessius exemplificat hoc modo: Si vir esset filius magnatis, et mulier filia fabri; sed Sanch. Navarr. et s. Antoninus dicunt sufficere minorem inæqualitatem: v. gr. si nobilis (sed non magnates) ducturus esset filiam agricolæ aut artificis. Et idem dicunt præfati auctores cum aliis, et cum eodem Less. si vir esset notabiliter opulentior (5). Item dicunt probabiliter Sanch. Lugo Less. Sal. Viv. et alii hoc procedere, etiamsi puella disparitatem ignoraverit: quia si adesset præcisa obligatio matrimonii, tunc vir teneretur reddere aliquid excedens æqualitati debitæ injuriæ illatæ; unde tunc

(1) n. 642. §. 2. — (2) n. 646. in fin. — (3) tr. de dec. c. 3. de 6. præc. art. 2. concl. 2. v. Quæres ad. — (4) Suppl. q. 46. a. 2. ad 4. — (5) L. 3. n. 643. v. sed hic Dub. 1.

sufficiet, ut curet reficiendum damnum eam dotando (6). Contra si mulier poterat percipere disparitatem, ut supra dictum est, probabiliter est cum Less. s. Anton. Lugo, Sanch. Sylv., etc. (adversus alios) non teneri tunc ne damnum quidem reparare, sicut etiam expresse docet s. Thomas *loc. cit.* sic dicens: *Et etiam quoad hoc (nempe ad damni reparationem) non tenetur, quia præsumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta, sed decepti se finxerit* (7).

95. Limitatur II. si ex matrimonio pessimus timeretur exitus, ut dicunt Lugo Sanch. Busemb. Henriq., etc. (8). Limitatur III. si mulier remitteret defloratori obligationem se ducendi, cum talis remissio valida sit, licet dissentiret familia, ut probabiliter dicant Lugo Less. Ronc. et Laym., dum jus ad matrimonium præcipue ad eam spectat, ideoque libere illa cedere potest (9). Limitatur IV. si matrimonium non posset perfici a viro sine familiæ dedecore; nam tunc non tenetur ad matrimonium, licet promissio esset vera, cum tunc sit invalida, sicut de re illicita, prout dicunt communiter Laym. Navarr. Sanch. Ronc. Sporer, etc. (10). Sed utique teneretur, si promissio fuisset vera et disparitas tantum esset in divitiis, ut dicitur *Tract.* 18. a. 16. loquendo de sponsalibus. Limitatur V. si vir adhibet tantum tactus cum virgine, ut dicunt Sanch. Navarr. Lugo et Croix, quia soli tactus non sunt tantæ injuriæ, ut inducant obligationem ineundi matrimonium fide promissum, nec tanti ponderis, ut non ingerant mulieri suspicionem fictionis: modo (excipitur) mulier non esset nobilis, aut honesta; aut modo vir non requisisset, nisi solos tactus, cum nuptiarum promissione, et propter illos (jam patefactos, aut saltem familiaritate divulgata) puella remaneret infamia notata (11).

(6) ib. Dub. 2. — (7) n. 643. Dub. 3. — (8) ibid. — (9) ibid. et 1. 6. n. 851. — (10) n. 645.

96. Limitatur VI. si vir puellam censebat virginem, sed corruptam inveniret; ita communiter Laym. Sanch. Salm. Ronc. Holzman Sporer, etc. Et eo casu dicitur juxta sententiam probabiliorum Lessii Coninch. et Roncagl. quod vir non tenetur aliquid dare ratione copulæ traditæ, nisi adesset pactio expressa, aut nisi ex tali facto mulier remaneret infamia notata: sed dicit probabiliter Elbel quod si ipsamet suam ignominiam divulgaret, vir ne ad aliquid quidem teneretur (1). Limitatur VII. si ipsamet puella exhibito consensu suæ violationi prompter fictam matrimonii promissionem repugnaret nuptias contrahere, quia vir non tenetur tunc, ad aliud; nisi esset, ut recte excipit de Lugo, quod ille simulasset se melioris conditionis, aut illi conditionis æqualis et esset deterioris; quia tunc licet mulier nuptias respueret, tamen ille tenetur compensare damnum majoris dotis, qua indigeret, ut nuberet. Eidem compensationi dicimus cum Navarr. Vasq. Sylv. et Henr. (contra Sanch. et Lugo) teneri virum, si puella matrimonium non recusaret, sed sui parentes: nam promissio ficta præcipue intelligitur facta ad compensandum damnum. Idem dicimus cum Less. Azor. Bonac. Lugo Croix (adversus Mol., etc.), si mulier violationem invita passa fuisset, et nollet postea nubere ei a quo injuria affecta est. Deflorator contra, ut recte dicunt Lugo Less. et alii, non tenetur ad eam ducendam cum nulla intercessit promissio, nec vera, nec ficta; modo alia via subesset, qua damnum repararetur, et inæqualitas non esset nimia (2).

97. Dubitatur 1. an habens votum castitatis virginem deflorando teneatur eam ducere. Negant Laym. Salmant. et Conc.; sed recte affirmant Lugo Sanch. Vasq. Tamb. Spor. et Croix, nec agnosco utrum opposita sententia probabilis judicanda sit, quia (ut dictum est *num.* 93.) ut ser-

(1) L. 3. n. 646. — (2) n. 648.

vetur bona fides in contractibus, fide promittens tenetur præstare partem suam, ac si vere promississet, cum alter contrahentium partem suam adimplevit. Obijciunt promissionem irritam esse ratione præcedentis voti. Sed respondetur 1. quod debita onerosa semper præferenda sunt gratuitis, qualia sunt vota. 2. Quod deflorator, si promittere nequibat matrimonium, poterat saltem promittere impetrationem absolutionis a voto; et ad hoc jam se obligavit promittendo matrimonium, dum qui ad finem tenetur, tenetur etiam ad ponenda media, nempe ad impetrandam dispensationem. Et casu quo eam obtinere non posset, tenetur saltem ad compensandum damnum, ut dicunt recte Lugo et Spor. (3).

98. Dubitatur 2. ad quid teneatur violans virginem sibi conjunctam sub matrimonii promissione? Si promissio fuit vera et intercessit pactum impetrandi dispensationem, communis est sententia cum Lugo Laym. Sanch. Salmant., etc. promissionem esse validam, et obligare prius ad dispensationis impetrationem, et deinde ad matrimonium, quoties hujusmodi dispensationes solent concedi. Itaque idem dicimus cum Lugo et Tambur.; si promissio fuerit ficta, nec mulier potuisset fictionem animadvertere; nam promittens tenetur efficere omne id (ut superius dictum est) quod facturus fuisset si promissio fuisset vera. Si tamen ille inculpabiliter non advertisset ad impedimentum cognitionis quod aderat, et pro dispensatione opus esset magno incommodo, aut sumptu, ad tantum non tenetur; tenetur autem ad damni refectionem, sicut quilibet alius injustus deflorator (4).

PUNCTUM VII.

QUID RESTITUI DEBET OB ADULTERIUM.

99. *Ad quid tenetur adultera; et an teneatur se prodere apud spurium filium.*

100. *An filius teneatur credere ei.*

(3) n. 649. — (4) n. 650.